



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1715. usque ad annum 1718

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1782

VD18 13322648

§. 19. Lovaniensis Universitatis Vindicæ contra falsos Parisiensium
rumores.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67649](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67649)

fentient, nisi ab ovili Christi, ut oves putridæ sejungi malint. Huic declarationi Facultatis Decanus, viginti novem Doctores, Licentiati ac Professores subscripsere.

Sæc. XVIII.
A. C. 1715.

§. XIX.

*Lovaniensis Universitatis Vindicicæ
contra falsos rumores.*

Cum vero Lovaniensis Universitas publicum ejusmodi acceptationis testimonium reddere tergiversaretur, mox turbidi Parisienses Theologi in vulgus sparsere, quod Lovanienses Constitutionem *Unigenitus* tanquam hæreticam atque impiam rejecerint. Id ubi resciverat Duacensis Universitas, de Lovaniensium honore sollicita mox die vigesima secunda Junii ad hanc Universitatem has dedit literas:

„Magno cum dolore intelleximus,
„idque ex certis documentis, quos-
„dam Sycophantas Parisiis, ac in tota
„Gallia sparsisse, vos constitutioni Apo-
„stolicæ *Unigenitus Dei Filius*, infensos
„esse, vos illam Constitutionem ut hæ-
„reticam ac impiam rejecisse, si qui in
„Galliæ Regno, hac sycophantia com-
„moveri debuerunt, nos sane potissi-
„mum debuimus, qui Facultatem ve-
„stram ut Charissimam Matrem nostram

Hist. Eccles. Tom. LXIX.

H

„su-

Sæc. XVIII. „suspiciamus: qui vos ut amicos anti-
 A. C. 1715. „quo fædere sociatos sincere diligimus,
 „ac æternum pariter diligere volumus;
 „qui vestram, majorumque vestrorum
 „eruditionem, solertiam, ac in tuen-
 „da summorum Pontificum infallibili-
 „tate Concordiam sæpe laudavimus,
 „ac demirati sumus, qui denique erga
 „vos ut nostrates, seu Belgii nostri in-
 „colas, & quidem de Ecclesia nostra
 „Belgica, optime meritos propensissimi
 „sumus. Viri sapientissimi, nostri officii
 „ac muneris est, ut de impacta ca-
 „lumnia vos quamprimum certiores fa-
 „ceremus, unaque instantissime roga-
 „remus, ut famæ vestræ & bono pu-
 „blico consulentes, hanc atrocem in-
 „juriam depellere non gravarentur,
 „quod abunde præstiteritis, si palam
 „significare volueritis, vos pure, sim-
 „pliciter, ac sine ulla exceptione &
 „explicatione præfatam Constitutionem
 „recipere; hac enim professione calum-
 „niatores, eorumque complices con-
 „fundentur: qui ab eis delusi fuerint,
 „opinione sinistra levabuntur: sicque
 „integra stabit Collegii vestri fama &
 „gloria. Sinite igitur, viri Zelosissimi
 „& undequaque ornatissimi, ut tan-
 „quam amici de rebus vestris solliciti,
 „hanc sensuum vestrorum declaratio-
 „nem a vobis exposcamus, quam ab
 „humana

„humanitate & sapientia vestra a vide Sæc. XVIII.
 „expectantes, sumus ex intimo cordis A. C. 1715.
 „affectu, & magna cum reverentia &c. „

Acceptis hisce literis Lovanienses
 die octava Julii hanc reddidere episto-
 lam. „Ex literis, quas die vigesima
 „secunda Junii proxime elapsi ad nos
 „dedistis, non absque ingenti admira-
 „tione, nec minori, ut justum est, in-
 „dignatione percepimus, eximiis ve-
 „stris dominationibus, certis ex docu-
 „mentis constare, quosdam Parisiis,
 „ac per totam Galliam sparsisse, nos
 „Constitutioni Apostolicæ, quæ inci-
 „pit: *Unigenitus Dei Filius*, infensos esse,
 „illamque, ut hæreticam & impiam,
 „rejecisse. Sane non poterat effingi,
 „quod magis alienum foret, non a ve-
 „ritate duntaxat, sed ab omni quoque
 „specie vel apparentia veritatis, quan-
 „doquidem talia apud Nos, vel per
 „Nos publice data sint documenta,
 „quæ sole clarius demonstrant, om-
 „nes & singulos Facultatem nostram
 „Theologicam constituentes, præfatam
 „Bullam *Unigenitus*, cum debita, id
 „est, vera & integra, tam interiori
 „quam exteriori obedientia suscepisse,
 „ac suscipere. Nam ut omittamus,
 „omnibus literatis notum esse, vel esse
 „debere, quod Facultas nostra exem-
 „plo majorum suorum semper ac con-

Sæc. XVIII. „stanter steterit, & hodieum stet, pro
 A. C. 1715. „Romani Pontificis, & universalem
 „Ecclesiam in materia fidei aut mo-
 „rum docentis, infallibilitate, quod
 „que proinde Constitutiones omnes
 „Apostolicas, tam eas, quæ contra
 „Bajanos & Jansenianos errores ac hæ-
 „reses editæ sunt, quam alias quas
 „libet corde & ore receperit, ac reci-
 „piat: illam ipsam constitutionem *Uni-*
 „*genitus*, ab initio, etiam ante publi-
 „cationem jussu Superiorum Lovani-
 „factam, omnes & singuli amplexi so-
 „mus pure, simpliciter, sine hæsitati-
 „one, sine exceptione, sine explica-
 „tione, palam agnoscunt, Beatum
 „Petrum per Clementem XI. in eadem
 „fuisse locutum. Quin, eo ipso, qui
 „innotuit memorata Constitutio, dum
 „ex nobis, in solemnitate admissionis
 „aliquorum ad Magisterium, orationem
 „specialem habuerunt super Constitu-
 „tione *Unigenitus*, illam annuntiantes
 „& laudantes, sæpe quoque in Thesi-
 „bus impressis in Schola nostra pro-
 „pugnatis facta est mentio illius cum
 „elogio: & quotidie fere in publicis dis-
 „putationibus citatur ab oppugnantibus,
 „& jubentur propugnantes, doctrinam
 „suam secernere ab omni pro-
 „positione, quæ in Bulla *Unigenitus* est
 „damnata. Præterea notum est, quod
 „ne

„nequaquam ferret nostra Facultas, Sæc. XVIII.
 „ullum in Schola nostra defendere, A. C. 1715.
 „præsidere, aut docere, qui aliter fa-
 „peret. Ex his evidentissime perspi-
 „cere possunt, eximæ Dominationes
 „vestræ, quod nequiter & falso sparsi
 „sint prædicti injuriosi rumores, addi-
 „mus tamen ex abundantia, quod ubi
 „lectæ fuerint literæ, quibus nos ho-
 „norastis, singuli uno ore ac animo,
 „eodemque momento reclamaverint
 „contra sparsam de nobis injustissimam
 „calumniam, atque in contrariam pro-
 „testationem justa indignatione erupe-
 „rint. Aberat quidem Lovanio unicus
 „de facultate nostra eximius Pater Bos-
 „suet Provincialis Ordinis Eremitarum
 „S. Augustini, sed probe novimus,
 „ipsius mentem nostræ esse conformem.
 „Quamvis vero non foret opus de novo
 „convenire, ut determinaretur, quid
 „literis vestris esset respondendum; ta-
 „men ut constaret nihil præpropere,
 „sed pro rei gravitate esse mature pro-
 „cessum; conclusum fuit, Facultatem
 „nostram sub juramento eam in rem
 „esse convocandam, itaque in Congre-
 „gatione sub juramento habita compa-
 „ruerunt omnes, excepto præfato exi-
 „mio Patre Provinciali, & post matu-
 „ram deliberationem, ex unanimi suf-
 „fragio conclusum fuit, *eximiis domina-*

Sæc. XVIII. „tionibus vestris, præter jam dicta re
 A. C. 1715. „spondendum esse, quod agnoscamus,
 „& sincere sentiamus, omnia & singula
 „rite, legitime ac juris ordine peracta
 „esse in negotio concernente librum Gal-
 „lico idioma impressum, & in plures
 „tomos distributum sub titulo: *No-
 „vum Testamentum &c. vel alio titulo:
 „Synopsis moralis doctrinæ Evangelii,
 „Actuum Apostolorum &c.* Palamque pro-
 „fiteamur, omnes & singulas proposi-
 „tiones per præfatam Bullam *Unigeni-
 „tus* damnatas, fuisse vere damnabiles,
 „& vere recteque damnatas esse, etiam
 „sub eorum respective Censuris. Ecce
 „genuina & aperta, *Eximii viri & Do-
 „mini*, sensa nostra, quæ non vobis so-
 „lum, verum etiam Urbi ac orbi toti
 „cupimus esse nota, ut sic quoque ob-
 „struantur ora loquentium iniqua: Ce-
 „terum vobis grates referimus, quam-
 „possimus, maximas, tum quod juste
 „de nobis sentientes non dederitis
 „dem detractoribus istis nominis & fa-
 „mæ nostræ, tum quod de rebus no-
 „stris solliciti, sicut fas est & decet
 „meminisse fratrum, amice nos com-
 „monueritis, quatenus injuriam istam
 „tam atram quam atrocem nobis im-
 „pactam depelleremus, prout eam hisce,
 „quantum confidimus, omnino depel-
 „limus, porro dum vestris vicissim ob-
 „sequiis

„sequiis intime sumus intenti, perenni
„cultu subscribimur &c.

Sæc. XVIII.
A. C. 1715.

Ex his literis non modo utriusque
Universitatis obedientia erga Pontificis
definitionem elucet, sed vel maxime
malæ Quesnelistarum deteguntur artes,
quibus suæ pervicaciæ socios & pa-
tronos, improspere tamen successu,
ubique emendicabant, uti ad annum
sequentem plura & indigna ejusmodi
molimina a Racheveto Syndico atten-
tata recenserebimus.

§. XX.

*Emanuelis Theodosii Boullionii Car-
dinalis obitus.*

Quam adversis novercantis fortunæ
injuriis agitato fuerit Emanuel
Theodosius Boullionius, jam supra re-
tulimus: hoc tandem anno mors om-
nibus ejus fati finem imposuit. Erat
hic Princeps a teneris mente ad opti-
ma facili, & a vitiis aliena præditus,
accedebat felicitas ingenii, quod Phi-
losophicis & Theologicis disciplinis mire
excoluit, atque in jurisprudentiæ stu-
dio tantos fecit progressus, ut omnes
honores Academicos in Sorbona eme-
reretur. Tanti habebatur a Ludovico XIV.
Galliarum Rege, ut ab eo
pinguibus Abbatiis, & Regii Eleemo-

Vid. supra
t. 66. l. 212.
§ 92 p. 574.
Vit. Card.
t. 1. p. 201.